

ribus ejus Episcopis Perusinis, qui essent pro tempore, impertiendi personis ad hoc idoneis docendi licentiam in Jure canonico, & civili juxta certum modum in literis nostris expressum, liberam concessimus potestatem: prout in eisdem literis nostris plenius & seriosius continetur.

Facultate hujusmodi etiam ad Medicinam, & Artes extendit hac Constitutione.

§. 3. Considerantes igitur, quod eadem Civitas propter ejus comoditates, & conditiones quamplurimas est non modicum apta studentibus, ac propterea concessiones hujusmodi ob profectus publicos, quos exinde provenire speramus, ampliari volentes, Apostolica auctoritate statuimus, ut si qui processu temporis in eodem studio fuerint, qui etiam in Medicinali scientia, & liberalibus artibus scientia bravium affectu, sibi docendi licentiam, ut alios liberius erudire valeant, petierint in perpetuum, in predictis Medicinali scientia, & artibus examinari possint ibidem, & in eisdem facultatibus titulo magistrum decorari: statuentes, ut quotiens aliqui in predictis Medicina, & Artibus fuerint doctorandi, presententur Episcopo Perusino, qui pro tempore fuerit, vel ei, quem ad hoc predictus Episcopus duxerit deputandum, qui Magistris hujusmodi facultatis, in qua examinatio fuerit facienda, in studio eodem presentibus, qui ad minus quatuor numero in examinatione hujusmodi esse debeant, convocatis eos gratis, & difficultate quacumque sublata, de scientia, facundia, modo legendi, & aliis, que in promovendis ad Doctoratus seu Magistratus officium requiruntur, examinari studeat diligenter; & illos, quos idoneos repererit, petito secreta Magistrorum eorumdem consilio, quod utique consilium in ipsorum consulentium dispendium vel jacturam revelare quomodolibet districtius prohibemus, approbet & admittat, eisque petitam licentiam largiatur: Alios minus idoneos nullatenus admittendo, postpositis gratia, odio, vel favore.

Magistrosque in utraque facultate in hac Accademia esse precepit.

§. 4. Ut autem in predictis Medicinis, & Artibus prefatum studium tanto plenius coalescat, quanto peritiores Doctores in hujusmodi suis primitiis ibidem ceperint actu regere, & docere, statuimus, quod usque ad Triennium vel Quatriennium aliqui Doctores, duo ad minus, qui in Medicinali scientia in Parisien., vel Bononien. aut aliis famosissimis generalibus Studiis honorem receperint Doctoratus, ad docendum & regendum in scientia Medicina, & tres vel duo ad minus, qui in Artibus in Parisien. studio apud majorem Parisien. Ecclesiam docendi licentiam fuerint affectu, & saltem per annum rexeerint, seu docuerint in Parisien. studio memorato, ad regendum & docendum in dictis Artibus in prefato Perusino studio assumantur, qui usque ad Quatriennium vel Quinquennium, donec prefatum Studium in bonis studentibus laudabiliter progressum acceperit, regant & doceant in eodem.

Conditiones in laureandis in Medicina requirende.

§. 5. Circa Doctorandos vero in scientia Medicina hoc precipue observetur, ut hujusmodi decorandi audiverint omnes Libros ejusdem scientia, qui in Bononien., vel Parisien. studio a studentibus promovendis consueve-

runt audiri, per septennium, vel qui in Logicalibus aut Philosophia alias forent sufficienter instructi, saltem per Quinquennium in scientia predicta studuerint, ita quod saltem tribus annis ejusdem Septennii vel Quinquennii, ut predictur, in Medicinali scientia audierint in aliquo Studio generali, & ut moris est, responderint sub Doctoribus, & extraordinarie legerint libros legi extraordinarie consuetos, servato circa examinationem ipsius in Medicina scientia promovendi more laudabili, qui in talibus erga eos, qui promoventur in Parisien., vel Bononien. studio observatur.

§. 6. Circa Doctorandos vero in Artibus liberalibus etiam observetur, quod studuerint per quatuor vel vel quinque annos, de quibus saltem duobus annis audierint in aliquo Studio generali: ita videlicet ut in Grammatica Priscianum majorem & minorem, & in Dialectica Logicam novam & veterem Aristotelis, ac in Philosophia librum de anima, & saltem quatuor libros Ethicorum; & tam in iis, quam in ceteris aliis liberalibus Artibus illos alios libros audiverint, qui in Parisien. studio per Promovendos in dicta facultate Artium consueverint audiri, servato circa examinationem tam in communibus, quam in propriis ipsius in Artibus promovendi more laudabili, qui in talibus erga eos, qui promoventur, apud prefatam majorem Ecclesiam Parisien. observatur.

§. 7. Verum quia non passim reperiuntur in studiis, qui omnes hujusmodi libros audierint, prefato Perusino Episcopo suisque successoribus Perusino Episcopis, qui pro tempore fuerint, indulgemus, ut in auditione aliorum prefatorum librorum de forma circa Licentiandos ipsos in artibus, prout sufficientia eorumdem Licentiandorum exegerit, & sibi videbitur expedire, auctoritate nostra valeat dispensare.

§. 8. Illi autem, qui in dicta Civitate Perusina taliter examinati, & approbati fuerint, ac docendi licentiam obtinuerint, ut est dictum, ex tunc absque examinatione vel approbatione alia regendi & docendi ubique plenam & liberam habeant auctoritate prefatum facultatem, neca quoquam valeant prohiberi.

§. 9. Sane ut rite in prefatis examinationibus procedatur: precipimus, ut tam Episcopus Perusinus, qui pro tempore fuerit, quam ille, cui prefatus Episcopus ex causa rationabili impeditus in hac parte commiserit vices suas, eidem Episcopo, propositis tamen, sed non tactis Evangelii, ab aliis vero corporaliter tactis jurent, quod in hac parte officium suum fideliter exequentur. Volumus autem quod personis, que per examinationem hujusmodi reperta fuerint idonee, hujusmodi licentiam debeatur impertiri, & quod idem Episcopus personaliter, non per Vicarium, vel substitutum examinationi hujusmodi interesse debeat: nisi esset ex aliqua rationabili causa adeo impeditus, quod suam non posset examinationi predicta personalem prefatam exhibere: in quo casu eidem Episcopo-

Alie in doctorandis in Artibus.

Data eidem Episcopo de defectu auditionis nonnullorum librorum dispensandi potestas.

Approbati in hac Accademia ubique possunt legere.

Leges in concedenda licentia vel laureanda servande.

scopo interessendi examinationi hujusmodi per Vicarium, vel alium ad hoc idoneum substitutum, tenore presentium indulgemus: & quod nemini hujusmodi impartietur licentiam, nisi ei, quem omnis vel major pars Doctorum, qui hujusmodi examinationi intererint, approbabit.

Juramentum a Magistris prestandum circa examen laureandorum.

§. 10. Magistri quoque, regere in eodem Studio cupientes, vel alias inibi residentes, antequam incipiant, presentem in manibus dicti Episcopi juramentum, quod ipsi vocati ad examinationes easdem, venient, nisi fuerint legitime impediti, & gratis sine difficultate dabunt Examinatori fidele consilium, qui de examinatis ut digni approbati debeant, aut indigni merito non admitti. Qui vero juramentum hujusmodi prestare noluerint, nec ad examinationes eorumdem, nec etiam ad aliqua ipsius Studii commoda vel beneficia ullatenus admittantur.

Dar. die 19. Febr. 1321. An. V.

§. 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum constitutionis, prohibitionis, concessionis, precepti, & voluntatis infringere &c. Datum Avenioni duodecimo Kalendas Martii, Pontificatus nostri anno V.

X X I X.

Ex Regis eodem.

Revocatio concessionum, donationum, locationum, alienationum, aliorumque omnium per Rectores, & Officiales S.R.E. in Patrimonio Beati Petri in Tuscia, Comitatu Sabine, & Terris Arnulphorum, quibusvis Personis factarum.

Joannes Episcopus, Servus Servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inter cetera, quorum nos cura sollicitat, illa precipue meditatio mentem nostram occupat, illaque nos sollicitudo fatigat, ut Ecclesie Romanæ jura non pereant; & si qua sint forte deperdita, in statum pristinum restaurentur.

Concessionem, alienationem &c. nonnullas a Romanis factas ait.

§. 1. Audivimus siquidem relatione fidelium, quod quidam Patrimonii Beati Petri in Tuscia, Comitatu Sabine, Terris Arnulphorum, & quarundam aliarum Terrarum, ad nos & Ecclesiam Romanam spectantium, Rectores & Officiales, qui fuerunt temporibus retroactis, diversas locationes, alienationes, donationes, & concessionem de Ferris, Castiris, Bonis, & juribus ejusdem Ecclesie sub variis formis, modis, & tenoribus fecissent: noscuntur: & quasdam minores Terras, Civitates, Castra, & loca infra Patrimonium, Comitatum, & Terram Arnulphorum predicta, & alia infra jurisdictionem ipsius Ecclesie Romanæ consistentia, minoribus Civitatibus, & Communitatibus, Comitibus, Baronibus, & Nobilibus, quamvis nullam super hoc potestatem haberint, de facto in ipsius Ecclesie grave prejudicium subjecerunt, & etiam submiserunt: ac se subijcientibus, & submittentibus, auxilium prestando, concesserunt pro eorum libito voluntatis, & aliquam minora Terre, Civitates, & Castra dictis majoribus Civitatibus, & Communitatibus, Comitibus, Baronibus, & Nobilibus tam de dictis Terris, quam etiam aliunde, voluntarie, & quedam ab ipsis majoribus coacta se per violentiam submiserunt.

§. 2. Nos igitur super his volentes eisdem Ecclesie honori & indemnitatibus providere, locationes, alienationes, donationes, concessionem, subjectiones, & submissiones predictas, & alias quascumque de bonis & juribus predicta Romanæ Ecclesie, ac Civitatum, Terrarum, Castrorum, & locorum predictorum, ac Universitatum eorumdem, sub quibusvis modis, formis, tenoribus, aut expressionibus verborum factas, non obstantibus Apostolicæ Sedis, non ex certa scientia factis, & quorumvis aliorum confirmationibus seu ratificationibus super iis, sub quacumque forma verborum obtentis, nec non promissionibus, obligationibus, poenarum adjunctionibus, stipulationibus, & renunciationibus quibuscumque, ac juramentis super iis prestitis ab eisdem, ex nunc auctoritate Apostolica revocamus, cassamus, annullamus, irritamus, vacuumus, & nullam habere decernimus roboris firmitatem: & eadem Terras, Civitates, & Castra, bona, & jura, ad jus & proprietatem & dominium ejusdem Ecclesie revocamus: easdem minores Terras, Civitates, Castra, & loca in eo statu, in quo erant ante tempus subjectionis & submissionis hujusmodi, redacendo: decernentes illa predictis majoribus Civitatibus, & Communitatibus, Baronibus, & Nobilibus ad servandum submissionem & subjectionem hujusmodi, vel ad obediendum, seu parendum eis in aliquo preterito submissionis & subjectionis eorumdem, aliquatenus non teneri.

Eas omnes irritat, nullasque fuisse, & esse declarat.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum revocationis, cassationis, annullationis, irritationis, vacationis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Avenioni Kalendis Aprilis, Pontificatus nostri Anno quinto.

Clausula.

Dar. die 1. Aprilis 1321. An. V.

X X X.

Sequitur Episcopo Urbevetano ut de his inquirat, Terras hujusmodi recuperet, detentores censuris compescendo.

Joannes Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Guittoni Episcopo Urbevetano, patrimonii B. Petri in Tuscia Rectori, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Inter cetera &c. prout in superiori. §. 1. Quocirca fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatenus per te vel alium,

De hujusmodi alienationibus inquirat.

alium, seu alios, super premissis de plano, summarie, sine strepitu & figura iudicii te...

Contumaces compellat ceteris.

§. 2. Detentores Terrarum, Castrorum, bonorum, & iurium predictorum, & contra...

Obstantium derogatio.

§. 3. Non obstante, si eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim a dicta sit Sede...

Dat. die an. neq. eodem.

Dat. Avenione, Kal. Aprilis, Pont. nostri anno V.

XXXXI.

Inquisitoribus hereticę pravitatis prohibetur, quominus Bononię arma deferendi ulli...

Joannes Episcopus, Servus Servorum Dei, Dilectis filiis Inquisitoribus hereticę pravitatis in Provincia Lombardię, Apostolicam benedictionem.

Exordium.

Exigit ordinis vestri religio, & commissi nobis officii mansuetudo requirit, ut sic actus vestros virtute modestię componatis, quod nemini esse possint ad scandalum vel aliquod nocendum.

Causę Confratruum.

§. 1. Accepimus siquidem asseritione fidei, quod vos nonnullis pravis & perversis hominibus, qui frequenter ad cędes, & alia nefanda facinora laxant nequiter manus suas, arma per Civitatem & districtum Bononiensem portandi, non sine multorum scandalo, licentiam concessistis.

Confisurio de qua in Rubrica.

§. 2. Quare volumus, & discretioni vestre per Apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatenus neminem familiarem, nisi ejusdem Ecclesię fidelem ac devotum, & laudabilis conversationis & vitę, habere quomodolibet presumpatis; nec aliquibus de cetero, extra familiam vestram, quam vobiscum habetis continue (nisi forsitan illis, qui eundo de Terra ad Terram, vel etiam redeundo vobiscum; & in casibus aliis, in quibus vobis pro securitate vestra forsitan expediret) alicui deferendi arma per dictas Civita-

tem & districtum licentiam concedatis; & nihilominus licentiam, quam olim super hoc aliis concessistis, studeatis, remotis occasione & citatione quibuslibet, revocare. Ut per hoc nulla possit oriri in eisdem Civitate vel districtu materia scandalum paritura, nec ad nos de cetero super hoc querelę materia deferatur.

Dat. Avenione, 6. Non. Maii, Pontificatus nostri Anno quinto,

Dat. die 7. Maii 1321. An. V.

XXXXII.

Contra facientes cavalcas, & incurSIONES in provincia Marchię Status Ecclesiasticę.

Joannes Episcopus, Servus Servorum Dei, ad certitudinem presentium, & memoriam futurorum.

Exordium.

Ad hoc dignoscitur media inter discordes iustitia constituta, ut nemo dicere sibi jus audeat, nemo ipsius iustitię transgredi limites inordinatę presumat: sed quod sibi credit alter adversus alterum forte competere, eorum iudice, iustitia mediante, profequatur.

Varia defu mandones in Provincia Marchię asserit.

§. 1. Novimus enim, quod dierum crescente malitia, sit assueta nequitia malorum, mentes hominum depravare: quod in apertam profillire violentiam non timentes, sepius alter insurgit in alterum: & alius, quod adversus alium existimat se fortassis habere, viis pacificis, & juris ordine pretermisissis, violentis conatibus obtinere presumat. Inter alios vero, qui ad hoc ferventer inducuntur indomita voluntate, nonnulli de nostra Marchię Anconę provincia ad huiusmodi profillire conatus per motus effrenes & agiles non verentes, ipsius provincię statum sepe turbant pacificum, periculis in ea, non absque dispendiis animarum, fidelium stragibus, & bonorum detrimentis, injuriis, & scandalis suscitatis.

Eas itaque fieri vetat.

§. 2. Nos igitur, qui Provinciam ipsam quadam singulari affectione diligimus, & tamquam recreationis nostrę pomerium, paternę benignitatis oculis intuemur, cupientes in illa (turbationibus & scandalis quibuscumque remedii nostri appositione subductis) bonum pacis & concordię non ledatur: ac debitum & congruum reputantes, ut talium sic compeccatur audacia, quod a violentiis retrahantur: universis, & singulis tam laicis, quam clericis, cujuscumque status, ordinis, vel dignitatis existant; Comitibus quoque, Baronibus, Potestatibus, Capitaneis, & aliis quibuscumque Officialibus, & in inferioribus gradibus positus: necnon Communitatibus, ac Universitatibus Civitatum, Terrarum, Castrorum, & aliorum quorumcumque locorum in predicta Provincia consistentium, auctoritate presentium districtius inhibemus; & mandamus expresse, ne ipsorum aliquis con-

tra alium sibi jus dicere, aut guerram, vel exercitum, seu cavalcata (nisi de licentia Rectoris Provincię supradictę) per se, vel alios facere, vel movere per hostiles incurfus, seu violentias occupare, invadere, seu aliquem de domo propria, seu civitate, castro, vel loco expellere, capere, seu tenere, five ad vindictam vel ultionem aliquam profillire quavis causa vel occasione presumat: sed quilibet jus suum per viam iustitię coram competenti iudice profequatur.

Pars contra inobedientes.

§. 3. Nos enim omnes & singulos tam clericos quam laicos contra inhibitionem & mandatum huiusmodi (postquam illa ad notitiam pervenerint eorundem, vel per eos steterit, quominus potuerit pervenire) facientes, (nisi in casibus a iure permisissis) sententiam excommunicationis, & insuper eisdem clericis suspensionis penam incurrere: ac predictorum Castra, Terras, Loca, & Communitates, & Universitates, si contra huiusmodi inhibitionem & mandatum nostrum venire presumpserint, ac dictorum clericorum Ecclesias, (qui facere contra predicta forsitan attentabunt) interdicto ecclesiastico subiacere volumus ipso facto: omnesque predictos & singulos omnibus privilegiis, indulgentiis, gratiis, libertatibus, & immunitatibus realibus & personalibus, feudis, locationibus, bonis, iuribus, & honoribus, officiis, & quibuscumque concessionibus, que a Romana Ecclesia, & a quibuscumque aliis Ecclesiasticis obtinere noscuntur, eo ipso fore privatos: & nihilominus omnes & singulos Comites, Barones, Nobiles, Potestates, Capitaneos, Officiales, ac Communitates predictas mille marcarum argenti, & unamquamque personarum ipsarum, que contra inhibitionem & mandatum ipsorum facere, vel venire presumpserint, ducentorum florenorum auri, quam eo ipso incurrant, penam multamus. Contra Clericos predictos ad privationem omnium beneficiorum ecclesiasticorum, dignitatum, personatum, & officiorum cum cura vel sine cura, que forsitan obtineant; ac reddimus eos inhabiles & indignos ad ea, & quolibet alia in posterum optinenda. Nulli ergo omnino, &c. Datum Avenione, 10. Kalendas Januarii, Pont. nostri anno VI.

Dat. die 23. Decem. 1321. Anno VI.

XXXXIII.

Ecclesia Monasterii Cassinen. erigitur in Cathedralē, Monasteriumque in Episcopatum cum omnimoda iurisdictione, Privilegiis, & iuribus pro novo Episcopo, & Capitulo, quibus antea Abbas, & Monachi fruebantur.

Ex Regest. Archiv. Vat. Consi. G. G. l. v. Hist. Cassin. Sac. 126. P.

Joannes Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

Supernus opifex, sator Cęlorum, & universę conditor Creaturę, cęlestis & terrestria inestabilis providentię ordi-

natione disponens, ad instar superiorum Ordinum triumphantis Ecclesię inferiorem militantis disposuit Ierarchiam, distinguens varietate mirabili dignitates secundum sublimiores & inferiores gradus, & ordines in eadem, cuius dispositione mirifica ab exordio surgentis Ecclesię Episcopalia gubernacula, utpote in eadem Ecclesia obtinentia sublimitatem gradus ordinis, sunt in locis dignioribus, & frequentioribus Populis collocata, ut multa messis Fidelium superintendens diligens cura Pontificis, ipsam verbo dirigat, & exemplo, ac dignitati loci & populi dignitas respondeat Presidentis.

Causę erigendi Episcopatus in Monasterio Montis Cassini.

§. 1. Sane considerantes attentius, & intra pectoris clausura meditatione sollicita revolventes, quod tam dominicus Populus, quem sacundavit Altissimus in Terra Monasterii Cassinen., quam Fideles alii in certis Locis aliis dictę Terrę contiguis, & vicinis eidem Monasterio spirituali iurisdictione subiecti, qui alterius Diocesis non existant, nec retroactis temporibus extiterunt, Episcopalis sollicitudinis curam & diligentiam exigebant: cum periculum esset tanto gregi Fidelium, in singulis casibus, qui sunt Pontificalis Ordinis & Officii, ad alienos Episcopos, & interdum remotos, non absque multarum Animarum periculo habere recursum. ad ipsum quoque Monasterium, quod Confessor almus gratia Benedictus, & nomine multipliciter illustravit, quod etiam Confessoris ejusdem venerando vocabulo insignitur, cuiusque sanctissimi corporis sacrę reliquię inibi venerabiliter requiescunt, specialiter gerentes devotionis affectum: decens, quinimo necessarium fore censimus, ut dictum Monasterium, ubi Confessor prefatus claruit virtutibus, & miraculis coruscavit, ac normam Sanctę Monasticę Religionis instituit, que propagata per Orbem, innumeros quasi a mari usque ad mare jam protentos produxit palmites, & per incrementa temporum dilatavit, prerogativa sublimetur honoris, & potioris dignitatis eminentia sub Episcopalis appellatione nominis decoretur.

Ereclio, de qua in Rubric.

§. 2. Ex premissis igitur, & aliis suadentibus causis, que ad id nostrum animum induxerunt, ex certa scientia, ac de Fratrum nostrorum consilio, & assensu, ac Apostolicę plenitudine potestatis, ad divini nominis laudem, gloriam, & honorem, ad exaltationem Ecclesię militantis dictum Monasterium in Ecclesiam Cathedralē erigimus, & Episcopalis dignitatis titulo insignimus: decernentes, ut Ecclesia ipsius Monasterii sit perpetuis futuris temporibus Cathedralis: & Episcopus canonicę assumendus pro tempore præsint illic, qui, quoties imposterum dictam Ecclesiam in Cathedralē electam vacare contigerit, per electionem, vel postulationem, Canonicam celebrandam per quondam Conventum dictorum Monasterii, & Ordinis, quem ex nunc Capitulum ejusdem Ecclesię perpetuis temporibus futuris fore decernimus, assumatur.

Episcopus a Capitulo electus.

§. 3. Eadem quoque auctoritate statui-mus, ut cum idem quondam Monasterium

A a tam

Novo Episcopatu Privilegia omnia communicantur, quibus Monasterium ipsum fructuatur.

Eaque conceditur Episcopo in Terris Monasterio sitis locis auctoritas.

Illaque acribuntur iura, quae Abbatibus competebant.

tam in capite, quam in membris, per specialia Sedis Apostolicae privilegia sit exemptum, & Ecclesiae Romanae immediate subiectum, diversisque aliis privilegiis, indulgentiis Apostolicis, exemptionibus, libertatibus, & immunitatibus communitum, dicta Ecclesia Cathedralis, Episcopus, Capitulum, & personae ibidem degentes, ac omnia membra, officia, Ecclesiae, Castra, & Bona ipsius, ubicumque consistentia, utantur & gaudeant privilegiis, exemptionibus, indulgentiis, libertatibus, & immunitatibus huiusmodi, sicut prius.

§. 4. Decernimus insuper, ut in locis singulis, insignibus & non insignibus, tam sitis in Terra, quae Abbatia Caslinen. haecenus vulgariter nominabatur, quae in spiritualibus & temporalibus, quam etiam in Locis vicinis Terrae praedictae, quae in spiritualibus tantum Monasterio suberant memorato, quaeque alterius Diocesis haecenus non fuerunt, & personis eorum, praefatus Episcopus tanquam quivis alius Praeful in propria Diocesi, & in quibuscumque locis, & personis ubicumque consistentibus, sive spiritualiter & temporaliter, sive spirituali dumtaxat jurisdictione, Abbatibus, qui pro tempore praefuit regimini seu Conventui, vel Officialibus quondam Monasterii memorati, vel administrationem habentibus in eodem subiectis, idem Episcopus, sicut quondam Abbas, & Capitulum, & Officiales praedicti, sicut Praedecessores eorum, similem omnino jurisdictionem habeant & exercere valeant in eisdem: & eo plus praefato Episcopo in eisdem locis spiritualiter & temporaliter, vel spiritualiter dumtaxat, ut praemittitur, ei subiectis vicinis Monasterio memorato, quae haecenus alicui alteri Episcopo spiritualiter minime subiacebant, competere debeat, quo in iis, quae sunt Ordinis Pontificalis, & ministerium consecrationis desiderant, largiorem Pontificibus, quam inferioris gradus Praelatis potestatem Sacri Canonis concesserunt.

§. 5. Ceterum auctoritate praedicta decernimus, quod institutio, & desitutio, visitatio, reformatio, & correctio tam in Ecclesia Cathedrali, quam in Membris eisdem, ubicumque consistentibus, ac bona ipsius quondam Monasterii, quae ad Abbatem, Conventum, & Officiales spectabant eisdem communiter vel divisim, simili modo spectent ad Episcopum, Capitulum, & Officiales praedictos: ac de illis dicti Episcopus, Capitulum, & Officiales libere disponere valeant simul vel separatim, prout eorum dispositio ad eosdem Abbatem, Conventum, & Officiales communiter vel divisim antea pertinebat: iuribus & consuetudinibus, si qua haecenus praefatis Abbatibus, vel Officialibus, seu administrationem habentibus, in installationibus, praesentationibus, vel investituris Archiepiscoporum, vel Rectorum, aut aliarum personarum Ecclesiasticarum in Ecclesiis Castrorum, Villarum, seu Locorum etiam aliarum Diocesium competebant: nec non honoribus, qui eidem Abbatibus haecenus, cum ad eadem Castra, Villas, seu Loca noviter

accedebant, per Clerum & Populum processionaliter ei obviam occurrentes, in huiusmodi Processionibus, & quibuscumque aliis consueverant exhiberi: Episcopus Caspinen., qui erit pro tempore, sicut Abbatibus, & Officialibus, seu administrationem habentibus memoratis, sicut Praedecessoribus eorum, perpetuis futuris temporibus reservatis, & integraliter exhibendis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum erectionis, constitutionis, & voluntatis infringere &c.
Datum Avenioni, sexto nonas Maii, Pontificatus nostri anno VI.

X X X I V.

Canonizatio S. Thome de Aquino, Ordinis Fratrum Praedicatorum S. Dominici, eiusque relatio in numerum Sanctorum Confessorum, cum institutione festivitatis pro die 7. Martii.

Joannes Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus universis Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac Dilectis filiis electis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Archiepiscopis, aliisque Ecclesiarum Praelatis, ad quos litterae istae pervenerint. Salutem & Apostolicam benedictionem.

Redemptionem misit Dominus populo suo, cum Dei Verbum in virginali uteri thalamo, sancti Spiritus cooperatione conceptum, Caro factum est, & habitavit in nobis, verbo suo nos instruens, exemplo docens, caelestia referens, occulta miraculis roborans, ac sacri eloquii testimonii futura eadem esse confirmans, tandem se Deo Patri in ara crucis hostiam acceptabilem offerens, peccata nostra pio cruore deterisit, descendensque ad inferos, ac die tertia resurgens a mortuis, & per quadraginta dies apprensus Discipulis, & loquens de Regno Dei, ipsis cernentibus est elevatus in caelum, & captivam ducens captivitatem dedit dona hominibus, quibus patefecit caelum innotuit, referata dudum clausa in se credentibus janua Paradisi. Patet ergo Coelum credentibus, patet humilibus, patet etiam, qui honestatis, paupertatis, & obedientiae votis se Deo, (a quo stulti per inobedientiam discesserunt) voluntaria sponione devotent. Regnum enim coelorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, dum propriis subactis affectibus, violentia quadam ad superiora conscendunt.

§. 1. Haec igitur B. Thomas de Aquino, Ordinis Fratrum Praedicatorum, sacrae Theologiae Doctor, nobilis quidem genere, sed nobilior conversatione, fama clarus, vita clarissimus, sedula meditatione revolvens, & attenta deliberatione discernens, dum adhuc infra pubertatis annos existeret, ipsius Ordinis Praedicatorum habitum suscepit, in eo (invi-

Claufula.

Dat. die 3. Maii 1322. An. VI.

Primum.

B. Thomae canonium.

to etiam patre, qui ejus felicibus actibus in videbat) constantius mansit, ac in ipso tandem regularem professionem emisit: ubi in brevi adeo scientia, vita, & moribus profecit, ut aetate adhuc juvenis, ad Sacerdotium promoveretur, & ad eisdem magistratum Parisiis loco utique celeberrimo assumptus, magno inibi sui, suique Ordinis, ac Parisien. studii favore per multorum annorum curricula cathedram regeret magistralem. Quippe cum illi vita existentiam, conversatio famam, doctrina pareret opinionem, opera divulgationem, eademque tam brevi confecta tempore admirationem merito exhiberet; ut illud Psal. Rigans montes de superioribus suis, de fructu operum tuorum fatiabitur terra, in eo verissime impleatur. Quod utique thema idem Sanctus, dum esset in sacra Pagina incepturus, assumpsit, quodque (ut fertur) revelatione sibi post suam orationem facta didicerat, dum propter juventutem suam se inhabilem ad magistratum reputans, quid proponeret in instanti principio haesitaret.

Opera nonnulla scribit.

Orationi, & studiis assidue vacabat.

Castitate, sobrietate, humilitate, & aliis virtutibus praesalut.

§. 2. Nam & in primitivis scientiis, & diversis philosophiae partibus, ut non esset ociosus, sed operaretur terram; necnon in sacrae Scripturae pagina, tam super novum, quam vetus Testamentum scripta, plurimaeque aliae in Dei laudem, Fideique dilatationem, eruditionemque studentium, clara cum sciens esset, famosa, cum cognitus non absque speciali Dei infusione profecit. Doctrina quippe prudentium facilis, & omnino scientis signum est posse docere.

§. 3. Profecit utique vir peritus, a terrenorum ambitione semotus, & ad caelestium ascensionem intentus, perfecto vacans studio, intendebat Deo; praetermittit terrena, ut assequeretur aeterna; praemittit divina, ut roboraretur in schola; cum singulis diebus, antequam lecturus ascenderet cathedram, vel distraheretur ad alia, Missam unam celebraret, aliam audiret, in quibus & alias in oratione, (cum in illa foret assiduus) lacrymarum effusione mentis suae dulcedinem devotionemque Deo, cui nihil est absconditum, revelabat.

§. 4. Cumque castitatis nitore canderet, parsimonia devota custodiebat humilitatem; hanc eandem sobrietate medica nutrebat, adeo ut multi eum in carne virginitate mansisse incorruptum existimarent. Quod ejusdem Sancti Confessor Ordinis memorati, qui longo tempore ipsius confessionem audierat, publice (ut ad nos testimonio fide digno pervenit) coram omnibus die defunctionis ejusdem asseruit, dicens, Ego confessionem generalem ipsius sancti viri audivi, de quo testificor, quia ita inveni eum purum, sicut puerum quinque annorum, quia numquam suae carnis sensit corruptelam. Qui praeterea vir Dei cibis Religiosorum, vestimentisque communibus contentus, conversatione mitis, benignitate suavis, pietate misericors, humilitate subiectus, ceteraque virtutum varietate redimitus, honorum supercilium, mulierumque cautius consortia spernebat, non elatus, non praemium Bull. Rom. Tom. III. Pars II.

nens, nec etiam disputans, (quod & interdum disputanti solet esse commercium) jactator affectus, ut ampulosus (etiam si sibi eadem injicerentur ab aliis) in illo palestra syllogizationis exercitio uteretur. Totus igitur Dei famulus divinis operibus intentus, aut eruditioni, qua praecellebat, aut praedicationi, qua immotus erat, aut orationi qua devotus, aut Scripturae qua profundus, sedulus vacabat, adeo ut praeter naturalis necessitatis, aut quietis horas, nullum sibi aut vix temporis spacium relinqueret ociosum.

§. 5. Appropinquante autem die, qua de hoc saeculo migraturus esset ad Dominum, quaque devicto triumphatoque mundo, in perpetuas aeternitates recipiendus in patria, (nam honorum laborum gloriosus est fructus) cum a felicis recordationis Gregorio Papa Decimo praedecessore nostro, ad Lugdunense Concilium diceretur esse vocatus, de Neapoli veniens, ubi tunc temporis more solito famose legebat ut Doctor, & per maritimam transiens, cum ad Monasterium Fosse-Novae Ordinis Cisterciens. Tarracinen. Dioc. parumper digressurus per dies aliquot antea ad ipsum ut illuc deferretur, affectuose depositulans, pervenisset, intrans Monasterium, plenus Dei spiritu, haec verba protulisse refertur: Haec requies mea in saeculum saeculi; hic habitabo quoniam elegi eam. Quod verum esse eventus edocuit, & sacri Corporis sui illic facta tumulatio manifestat. Coepit enim illic infirmitate gravari eadem, viribus paulatim destitui, infirmitatem tamen ipsam, estis diurnum plurimum, non impatienter tolerans, sed aequanimiter, totus ut erat humilis, patientia supportans, quo sibi lenire infirmitatem, Deo obedientia placeret, ministris de se, quos non intendebat aggravare reverentia, imitanda quoque patientiae exempla praerberet, adeo quod ejusdem Monasterii Fosse-Novae Fratres, inibi Deo devotius famulantes, haec in sancto viro religionis exempla contemplantes, illius tunc infirmantis corpore promptis obsequiis mancipati, quem utique tanta referunt patientia fore cernebant, singuli ligna de sylva, singuli quaque illi opportuna voluntarie propriis humeris deferrebant, non extimantes fore conveniens, ut brutorum animalium humeri in portandis eidem rebus accommodis praesarent obsequia, qui tantarum virtutum praerogativa pollebat.

§. 6. Cumque in eadem infirmitate, de qua obiit, Sanctissimi Dei & Domini nostri Jesu Christi Corpus in cibum sumendum sibi, ut viaticum deferretur, totus profusus in lacrymis, & dulci amore ejusdem anima affueta dulcedine Dei, liquefacta, inter cetera multa & decora, quae protulit, haec vel similia fidei & devotionis verba, toto illius Monasterii conventu multisque distorum Praedicatorum, & Minorum Ordinum, assistentibus Fratribus, cruciatae referuntur: Ego de isto Sanctissimo Corpore Domini nostri Jesu Christi, & aliis Sacramentis, multa docui, multa scripsi in Fide Jesu Christi, & Sanctae Romanae Ecclesiae, cujus correctioni cuncta subijcio, cuncta suppono.

Ultima infirmitate in Monasterio Fosse-Novae laborat.

Viaticum sumens suae scripta S. R. E. iudicio submittit.

§. 7. Recepto deinde ab ipso eodem vivifico Sacramento, cunctisque aliis Sacramentis Ecclesie debita veneratione cum lacrymarum effusione susceptis, tertio die obdormivit in Domino, cui credidit, quem amavit, & tota mentis affectione dilexit. Fidelis servus & prudens, non pertinax, non proprio sensui aut prudentie innitens, & nulla de se scientia suae opinione superbus; nam qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria. Unde sapienter Doctor idem atque humiliter (ut praefati sumus) omnem suam verbo vel scripto doctrinam ad ejusdem Ecclesie fidei normam fideli devotione reduxit: quam Petri ore diffusam stabilem noverat, & nullis concussionum flatibus agitandam; cum post veram Deitatis Christi recognitionem, qua respondit: Tu es Christus Filius Dei vivi; ab ipso audire meruit: Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; & alibi: Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua; Dumque pro Petro Christus rogat, pro ejus Ecclesia intercedit.

§. 8. Verum, quia dignum erat & consonum, ut quem Deus viventem in hoc saeculo tantis suis donis gratissime perfecerat, assumptum in caelis sanctificatum fore hominibus declararet, multis eundem virum Dei post ipsius de hac vita transitum (licet & antea nonnulla fecisse memoretur) magnifice signis gloriosius coruscare, ut illud Psalmi merito de ipso dicamus: Scitote, quia mirificavit Dominus Sanctum suum; sicque vita ejus attestaretur miraculis, ut illius miracula vitae testimonium perhiberent. De quibus pauca de multis in Dei laudem, & Sancti hujus commendationem, & aedificationem fidelium, idoneis approbata testibus, praesentibus subnectemus.

§. 9. Post septimum namque mensem, vel circa, a die obitus, ipsius S. Thomae de Aquino, cum Corpus ejus, quod in Cappella S. Stephani dicti Monasterii per idem tempus sepultum extiterat, ad sepulchrum ejusdem primum, scilicet juxta Altare majus Ecclesie Monasterii antedicti, unde ad tempus per Monachos ejusdem Monasterii timoris causa sublatum fuerat, ne corpus ipsum omnino de dicto Monasterio tolleretur, per translationem denuo exhumatum, deferri exinde decrevissent, in apertura ipsius sepulchri ejusdem Cappellae S. Stephani tanta fragrantis odoris suavitas emanavit, quod totam ipsam Cappellam Clausuramque ipsius Monasterii, quod diffusum est, mira eadem suavitate replevit, quae de ipsius corpore, (prout ex sollicita, curiosaque Monachorum indagine est repertum) mirifice fundebatur. Propter quod majore per Monachos concepta ad ipsum devotione, totus Conventus processionaliter (Priore tamen dicti Monasterii, cum quibusdam ex Monachis paramentis indutis) Corpus ipsum ad praefatum primum ejus sepulchrum honorifice detulerunt. Hanc similem fragrantiam post septem annorum spatium, quidam ex testibus, quidam vero post quatuordecim annorum spatium sensisse se referunt, dum corpus ipsum diversis ex causis per

temporum vices sedulo inspexissent. Quippe odor, carnis ejus munditiam Deo acceptam exprimebat, orationum ejus adorationem representabat, famam quoque ejus claram diffusionem virtutum & illarum aromatum non celabat.

§. 10. Quidam arte chirurgicus, sed per decennium infirmitate podagricus, ita quod ire per se, vel ambulare nequaquam absque baculorum sustentatione, aut aliorum suffragio poterat, se Deo & B. Thomae devovens, juxta eum tumulum incumbens, (oratione facta) sanus prosiliit, & currens, ac Deum laudans, quod meritis ejus esset tam longa infirmitatis languore curatus.

§. 11. Alter quidam ex horribili quadam visione phantasmatis timiditate percussus, pedibus manibusque contractus fuit, & ore, ac facie distortus, sensibus carens, & omni virtute destitutus, ita quod loqui non poterat, sed mortuo similis videbatur, adeo ut ignem ejus membris admotum nullatenus sentiret, portatus ad tumulum illius, post morulam liber & sanus omnino a dicto sepulchro surrexit.

§. 12. Alius dum non devote de Sancto sentiret, virtutem Dei in Sancto, in se duplicem est expertus, infirmitatis, dum contemnit, sanitatis, dum a contemptus culpa discessit. Nam cum sibi devotionis causa a quodam Cappellano plures venerandae Reliquiae monstrarentur, ipse quoque ostensor preciosiores adhuc se habere Reliquias, videlicet manum F. Thomae de Aquino fateretur, illico hunc derisorie de his trufantem, cum eas videre non curaret, dicens, Sanctus non est, sed quidam Ordinis Praedicatorum Frater, tremor apprehendit: & caput ejus ad modum magna cista grossum, & valde ponderosum sibi esse videbatur; sed infirmitate correptus, & poenitens, simulque de sua incredulitate dictisque deplorans, dum veniam a Sacerdote petitam obtinuit reverenter, manum ejusdem Sancti deosculans, confestim a tremore & inflatione capitis liberatus evasit, sensitque progredientem, ut retulit, maximum ex dicta manu suavitatis odorem: Qui odor cum ipsius curati capitis, personaeque ex tactu manus ejusdem per magnum tempus inhaereret, multis eundem postmodum percipientibus, sciscitantibusque, quid esset, hoc signo narrare, quod acciderat (etsi nolens) miraculum coquebatur.

§. 13. Notarius quidam, dum ad mensam sanus accederet, surgens ab illa gravi squinantiae infirmitate correptus est. Duobus diebus propterea linguam movere non potuit, & loquelam amisit. Cumque multa medicorum remedia, ei adhibita, quin eadem infirmitas in augmentum procederet, non prodesse, immo de illo desperarent, ad Sanctum conceptam devotionem, ut ad tumulum ejus deferretur, quam lingua non valebat, manus suae scriptura depromsit. Verum, cum illic, repugnante uxore sua, (quia mulieribus praefati Monasterii Ecclesiam ingredi non liceret) nequaquam duceretur, ipse sic infirmus advertens infra se ipsum, eidem Beato Viro, se ut liberaret, affectuosius commendavit. Coepit ex tunc linguam duce-

Miraculis elaret.

Ejus corpus miro manat odore.

Podagra laborans.

Sensibus rapidus.

Tremebdus, & in fluxu capite.

Loquela pri-vata.

re, meliorari, & convalere, ac brevi temporis intervallo curatus perfecte fuit.

§. 14. Dum alius quidam per septem hebdomadas & ultra febre quotidiana, malo epatis & stomachi affligeretur: quadam die Veneris, cum pejus haberet, auditis quibusdam miraculis, quae per Virum Dei facta esse dicebantur, cum se ad ipsum devotius sequenti die Sabbati de sero, uxoris suae suavis, eaque praesente devovisset, die Dominica proximo in mane se a praefatis infirmitatibus plene reperit liberatum.

§. 15. Mulier quaedam, cum filium suum duorum mensium decumbentem, periclitari non immerito formidaret, pro eo praesertim, quod per menses quatuor ex surditate adeo gravata esset, ut decies exclamata, vagientem etiam puerum vix audiret, viri sui inductione, qui moestus una cum illa communis filii periculo condeolebat, praedicto Viro Dei, ut eam ab eadem infirmitate eriperet, obnoxius devovit: Emisso voto, cum nocte secuta dormisset, in crastino se liberatam Sancti meritis reperit, ut optabat.

§. 16. Puella, gutturis sui fauces squinantiae habens infirmitate contractas intantum, ut nec quid sumere solidum, aut liquidum valeret, & anhelitus sibi meatus, ut vix respirare posset, includeret: dum devote se beato Viro a matre persuasa commendaret, dumque foret in crastinum ad dictum Monasterium Fossae novae, superpositis gutturi suo dicti Viri sancti ex reliquiis in quadam capsula delatis, confestim melioratam se sensit, panem comedit, perfecteque sanata rediit.

§. 17. Quidam praefati Monasterii Fossae novae Converteris, adeo gravem in brachio dextro & spatula dolorem patiebatur, ut ipsum brachium, quod per trium mensium cum dimidio spatium detulerat suspensum ad collum, ei esset inutile, dolore praesertim vehementer afflictum. Quod cum requisitum medicorum remedium non haberet, & amplius dolore gravaretur, dum dicto Sancto pro sua liberatione se quodam emissio voto commendasset, seque supra ejus tumulum posuisset, ibidem obdormivit, ac excitatus deinde a quodam dicti Monasterii Monacho, brachio, quod linteo prius habebat incumbens, collo adhuc dependenti, extractum ab eo reperit, excitatorumque a somno more, dum ambas manus capiti suo, ut ipsum scalperet, apposuisset, se liberatum intellexit, ac astantibus, quod notum fuerat, miraculum revelavit.

§. 18. Infans quidam quatuor annorum tumorem & roborem in costis & crure usque ad pedem patiebatur, adeo afflictivum, ut nec a matre sua vel alio sine lachrysa & clamore suo aliquatenus tangi potuisset. Movere se non poterat, per mensem in tanto dolore & in anxietate fuit, a medicis spes curationis ejus sine incisione pueruli non inveniatur, illaque (si fieret) perpetuo eum in persona futurum impedium moestis amaritudine mentibus nunciabat. Desiciente natura, artisque suffragio non invento, recursum est ad Deum, qui gloriosus est in Sanctis suis, faciens prodigia. Nam mater infantuli, quae ipsum

diligebat ut mater, eum B. Thomae devotius commendavit, ut a dicta infirmitate sine incisione suis meritis liberaret. Delatus est puer ad Monasterium, positus super tumulum Sancti, post aliquantulam moram sanus inde surrexit.

§. 19. Haec sunt igitur testimonia tua, Deus, quae de hoc Viro justo nobis credibilia facta sunt nimis. Nam si testimonium hominis accipimus, testimonium Dei majus est. Quo animam enim caelum possidere jam credimus, intercessorem ipsum expectamus: ac inter Sanctorum agmina, quasi stellam matutinam, eum fidimus esse locatum. Unde fidem tuam in nobis, bone Jesu, nutris, spereris, dilectionis caritatem accendis. Latetur itaque Mater Ecclesia, exultet Italia, parens Campania jocundetur, Praedicatorum sacer Ordo jam jubilet, Religiosorum devotio concrepet, Doctorum turba complaudat, animentur ad studia juvenes, proveci non torpeant, senes delectentur in illis, omnes in humilitate proficiant, proveci contemplationem non deferant, mandata Dei seduli exequantur. Nam dedit illi Deus cor ad praeptra, & legem vitae, & disciplinae; & sapientia humiliati exaltabit caput illius. In medio Ecclesiae aperuit os ejus: & implevit eum Dominus spiritu sapientiae, & intellectus; stolam gloriae induit eum. Nam veritas (quae est Christus) ipsa veris, non fictis Doctoribus pollicetur: qui elucidant me, vitam aeternam habebunt. Quamvis ipse verus justitiae Sol stellarum illustratione non egeat, nec illarum irradiatione, cum illuminentur ab ipso, clarescat. Habitat enim lucem inaccessibilem, qui est splendor gloriae, & figura substantiae ejus, idcirco tenebris non obscuratur, ut deficiat, aut nebulis offuscatur, ut suae claritatis radios non diffundat.

§. 20. Ceterum, quia rationis ordo depositul, ut triumphantem in caelis Ecclesiam devota in terris militans subsequatur, illum veneratione praecipua percolat, quem in caelestibus agminibus, positum Deum glorificare cognoscitur.

§. 21. Nos de sanctitate vitae, ac miraculorum veritate Confessoris ejusdem non semel tantum, sed primo, & secundo; non festine, sed mature inquiri fecimus; & per nos etiam, & Fratres nostros Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, inquisitionem hujusmodi exacta discussione examinavimus diligenter, ut tanto firmius, quanto maturius, tanto certius, quanto disquisitius inquisitionem & examinatum existeret, in sic arduo difficile negotio procedere valeremus. Difficile namque extimamus, quae in terra sunt, & quae in prospectu sunt, invenimus cum labore, quae autem in caelis sunt, quis investigabit? Cumque per hujusmodi nostram & eorumdem Fratrum nostrorum examinationem sollicitam & sollicitudinem examinatum, vitam ejus sanctam, & miracula vera ejus meritis facta, probata esset confiteri; & supplicantibus nobis idipsum humiliter & devote multis tunc Praelatis apud Sedem Apostolicam existentibus, de dictorum Fratrum nostrorum

Ex his itaque credendum B. Thomam in caelis esse.

Miraculisque ejus, & sanctitate vitae diligenti perquisitis examine SS. Confessorum albo adscribitur.

Febre quotidiana detentus.

Mulier surditate.

Puella squinantia.

Converteris quidam Monasterii Fossae novae brachii acerrimo dolore afflictus.

Infans habens in cruro tumorem sanitati restituti.